

test. num. 31. 32. Ad consuetudinem introduendam non requiritur quod Princeps de ea in specie notitiam habeat, sed fufficit generalis consensus in omnem consuetudinem legitime introductam. n. 33.

137. Triplicem effectum habet consuetudo legitime introducta: Obligare in conscientia: tollere legem antiquam: interpretari legem dubiam, Tract. 11. cap. 6. n. 34. Non extenditur consuetudo de loco ad locum, de persona ad personam, de casu ad casum. Quare consuetudo unius civitatis non extenditur ad aliam: consuetudo a Laicis introducta non transit ad Clericos: introducta a secularibus non afficit Regulares. n. 36. Potest consuetudo tollere legem quoad poenam, ea manente, quoad culpam, & e contra; si lex sit talis conditionis quod possit esse mere penal. num. 40. Potest etiam tollere leges irritantes actus. num. 41. Consuetudo tollit etiam legem prohibentem contrariam consuetudinem. Pro quo notandum, consuetudinem posse tripliciter prohiberi: 1. per clausulam; Non obstante quacumque consuetudine: Quæ cum intelligi debeat de consuetudine jam introducta, poterit ea lex per novam consuetudinem tolli, 2. per clausulam expresse prohibentem futuram consuetudinem: ut si v. g. dicatur: quod nulla possit deinceps contra talem legem prevalere consuetudo. Sed hoc non obstante adhuc probabilius iudicamus, posse consuetudinem contra talem legem prevalere; quia talis clausula est legis humanae, sed consuetudo tollere potest legem humanam, ergo etiam talem legem. 3. per clausulam reprobandam contrariam consuetudinem, ut repugnantem iuri divino, aut naturali; & sic contra talem legem nulla potest prevalere consuetudo: similiter si reprobetur ut irrationabilis, non prevalerebit donec rationabilis fiat. num. 44.

138. Interpretatio legis dubiæ per consuetudinem facta, alia est authentica, & est quæ habet quinque conditiones assignatus, & consequantur vim legis; alia

probabilis, & doctrinalis; scilicet cum plures ita legem per consuetudinem practice interpretantur; & hæc non habet vim legis. Legem dubiam non interpretatur consuetudo, quæ est contra vel præter legem, sed quæ est secundum legem. Tract. 11. cap. 6. n. 45. 46. 47. Ad consuetudinem doctrinaliter interpretantem minus temporis requiritur, quam ad consuetudinem authentice interpretantem. n. 48.

139. Per novam legem tollitur consuetudo clare, & ex diametro opposita, quantumvis præscripta, firmata, & roborata. Hinc sequitur, per legem generalem non tolli consuetudinem specialem jam præscriptam alicuius loci, vel Provinciae, nisi in ea fiat specialis mentio dictæ consuetudinis, vel ponatur clausula revocatoria cuiuscumque consuetudinis contrariæ. Nec per legem specialem pro tali loco, vel Provincia latam, censetur revocari consuetudo specialis eiusdem loci, vel Provinciae illi contraria, nisi de ea fiat mentio, donec Princeps notitiam illius habeat. Tract. 11. c. 6. n. 50. 52. 53. Per generalem revocationem cuiuscumque consuetudinis non revocatur consuetudo memorabilis, nisi specialiter exprimat. n. 55. Sicuti lex per aliam legem abrogatur, ita consuetudo per aliam consuetudinem oppositam directe, nempe universalis per universalem, particularis per particularem; nam per particularem non tollitur contraria generalis, nisi pro illo loco particulari. n. 56. Non tollitur consuetudo jam præscripta, nisi per actus positive, vel saltem privative contrarios precedenti consuetudini. n. 57.

TRACTATUS II.

De primo Decal. præcepto

PROŒMIUM.

1. **P**ost traditam doctrinam de legibus in communi, convenienter in

in sequentibus de legibus in particulari agendum est, & præcipue de Decalogo, qui est aliarum legum summa, & Epitome. Decalogus est lex naturalis, & divina decem præceptis comprehensa, digito Dei in duobus tabulis scripta, & per manum Moysi Populo Hebræorum data. Per hæc decem præcepta recte ordinatur homo ad Deum, & ad proximum suum. Ad Deum quidem per tria priora præcepta, ad proximum vero per alia septem. Verum quia ad primum Decalogi præceptum pertinent & prima principia juris naturalis, & ipsæ virtutes Theologales: & quia secundum August. etiam Fide, Spe, & Charitate colitur Deus, a virtute Fidei Decalogi explanationem exordiemur. Tract. 21. Proem. cap. 1. n. 1. 11. & cap. 2. in Proem.

CAPUT I.

De Fide, & vitiis oppositis.

S. I.

De essentia, & necessitate Fidei.

1. **Fides**, secundum Apostolum, est *spevandorum substantia verum argumentum non apparentium. Eam moderni definiunt Fides est habitus, quo firmiter assentimur veritatibus a Deo revelatis, & ab Ecclesia præpositis.* Tract. 21. cap. 2. num. 1. Objectum Fidei materiale, seu formale quod, & adæquatum est solus Deus; aliæ vero veritates revelatæ; sunt objectum secundarium. Objectum formale quo, seu ratio sub quâ formalis est prima veritas obscure revelans. num. 2. Fidei subiectum est intellectus. Duplex est Fides, alia perfecta, seu informata Charitate: alia imperfecta seu sine Charitate. n. 4. In Beatis non est Fides neque quoad actum neque quoad habitum. In animabus Purgatorii est Fides quoad habitum; in damnatis vero datur tantum Fides naturalis, & acquisita. ibid. & num. 5. Hæretici etiam quoad Mysteria quæ credunt, carent Fide supernaturali, & infusa. n. 8.

3. Dupliciter aliquid potest esse necessarium ad salutem, scilicet necessitate mediæ, vel necessitate præcepti. Illud est necessarium necessitate mediæ, quod sine culpabiliter, five inculpabiliter deficiente, salus haberi non potest. Illud vero est necessarium necessitate præcepti, quod inculpabiliter deficiente, adhuc salus æterna obtinetur. Tract. 21. cap. 2. num. 9. Certissimum est habitum Fidei esse necessarium necessitate mediæ ad salutem; quia dimanat a Gratia Sanctificante, sine qua nullus salvari potest; & ideo hic solum agimus de Fide actuali, quæ rursus duplex est: Explicita, & implicita. Explicita est cum aliquis articulus in particulari, & in seipso creditur; implicita est quando aliquid creditur in alio, in quo tanquam in principio universalis continetur; & sic qui credit quidquid S. Romana Ecclesia credit, omnia Fidei Mytheria implicitè credit. num. 10. Salus supernaturalis est duplex: justificationis, per quam sanatur homo ab omni infirmitate peccati, tum originalis, tum personalis: Et glorificationis, per quam liberatur homo ab omni miseria vitæ præsentis. Illa igitur Fides, quæ est necessaria, & sufficiens ad primam salutem, est etiam necessaria, & sufficiens ad secundam. n. 11.

4. In omni statu necessarium fuit, necessitate mediæ, ad salutem animæ, five primam five secundam consequendam, salutis rationis usum habentibus, explicite credere: Deum esse, & remuneratorem esse, & Authorem donorum supernaturalium. Tract. 21. cap. 2. nu. 12. Post lapsum Adami, & ante Evangelii promulgationem, Fides Christi saltem implicita fuit necessaria, necessitate mediæ, ad salutem. num. 14. Post Evangelii sufficientem promulgationem Fides explicita Christi: scilicet Incarnationis Filii Dei, Mortis, & Resurrectionis illius, nec non & Mytherii Santissimæ Trinitatis, per se loquendo, est necessaria, necessitate mediæ, ad utramque salutem consequendam; per accidens vero potest sufficere Fides implicita, dictorum Mytheriorum, ut in casu, quo

quo quis habens notitiam Dei ut Auditoris supernaturalis, nihil penitus audisset de dictis Mysteriis Santissimæ Trinitatis, Incarnationis &c. Fides explicita aliorum Mysteriorum, seu articulorum non est necessaria, necessitate mediæ, sed tantum implicita. num. 15. 17. 18.

5. Absolutionis incapax est, qui sine culpabiliter, sine inculpabiliter nescit Mysteria, quorum Fides explicita est necessaria, necessitate mediæ, ad salutem. Tract. 21. cap. 2. num. 19. Datur præceptum credendi, Fide supernaturali, Divina Mysteria, quod quantum ad substantiam est divinum, quoad determinationem vero est Ecclesiasticum, & est supernaturalitate tam ex parte principii, quam ex parte objecti: est autem duplex: Affirmativum, & negativum. num. 24. Infidelis tenetur per se directe elicere actum Fidei, quando hæc illi fuerit sufficienter proposita. num. 25. Tunc Fides sufficienter proponitur, cum per ministros vitæ sanctitate conspicuos, rationibus minus probabilem contrarium errorem convincentibus proponitur, & maxime si etiam miraculis Mysteria credenda comprobentur. num. 26. Pueri baptizati, & inter fideles enutriti tenentur elicere actum Fidei, statim ac Fidei Mysteria illis sunt sufficienter proposita, quod accidit in instanti usus rationis: sed notandum, quod eadem Fidei propositio non est sufficiens promouibus; ideoque in hoc attendendum est tum ad ministros, & rationes quibus proponitur, tum etiam ad subiecta, quæ cum suscipere debent. num. 29. Præceptum elicendi actum Fidei obligat per se in articulo mortis, & insuper saltem semel in anno; sed huic obligationi sufficienter satisficit per exercitium aliarum virtutum supernaturalium Spei, Charitatis &c. & per susceptionem Sacramentorum. num. 31. Per accidens vero obligatur quis, hoc præcepto, quando tentatur graviter contra Fidem, nec non quando Fidei actus prærequiritur ad elicendos actus aliarum virtutum, ad quos quis obligatur: & quando urget Ty-

rannus ad negandam Fidem. n. 33. 34.

6. Fideles per se primo ex Fidei præcepto explicitè credere tenentur & scire, saltem quoad substantiam, omnes Fidei articulos, prout in symbolo Apostolorum continentur. Tract. 21. cap. 2. num. 38. Ex consequenti vero & propter operationem tenentur fideles explicitè credere Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, & scire eorum virtutem, & dispositionem necessariam ad ea debite recipiendâ: cætera vero quatuor Sacramenta saltem implicate; & tunc ea scire tenentur quando suscipienda sunt; & quod cum conscientia peccati mortalis a nullo recipi possunt. num. 46. Tenentur etiam fideles habere explicitam notitiam præceptorum Decalogi, & Ecclesiæ, & scire Orationem Dominicam saltem quoad substantiam: eam vero, sicut & Salutationem Angelicam memoriter scire, saltem sub veniali tenentur. Solum sub veniali tenentur scire se signo Crucis munire. num. 47. 48. 49. Si ad prædicta quoad substantiam sciendâ alicui necesse foret ea memoriter scire, tunc ad ea memoriâ mandanda sub mortali tenentur. Ignorantes latinam linguam non satisfaciunt præcepto, si prædicta latino tantum idiomate sciunt; nam idem est ac nescire. num. 51. Idem dicendum de eo qui materialiter tantum prædicta sciret, & saltem quoad substantiam minime intelligeret. ibid.

7. Sacerdotes simplices ultra ea, quæ ad proprium munus spectant non plus tenentur scire quam laici. Tract. 21. cap. 2. num. 54. Parochi, & portione servata Concionatores, & Confessarii tenentur Fidei articulos scire saltem iuxta declarationem Cathedris Romani. n. 55. Episcopi, & alii Ecclesiæ Prælati, & Theologiæ Magistri tenentur etiam nosse dissolvere difficultates, quæ in Fidei Mysteriis occurrunt, & eos qui contradicunt arguere; non tamen æqualiter, sed magis, vel minus pro qualitate gradus eorum; & non requiritur quod Episcopus adeo doctus sit, quod possit ex tempore solvere omnia argumenta contra

tra Fidem, sed satis est si adhibita diligentia, sufficientique studio, & periculo consilio id assequi possit per seipsum saltem utcumque. n. 57.

8. Pœnitentiæ, sive vincibiliter sive invincibiliter, ignorantia ea quorum notitia est necessaria, necessitate mediæ, est neganda absolutio donec infruatur. Si vero ignorantia sit de iis, quæ ex necessitate præcepti sciendâ sunt, & sit invincibilis, tunc si proponat ea addicere, est absolvendus: si vero sit vincibilis, sed nunquam admonitus fuerit, si doleat de præterita negligentia cum proposito addicendi potest absolvi: si autem his, vel ter admonitus adhuc ea non didicit, differenda est absolutio donec ea sciat. Tract. 21. cap. 2. nu. 58. 60. Moribundus ignorans Mysteria Fidei necessaria, necessitate mediæ, antequam absolvatur debet de iis instrui, & illis explicitè assensum præbere, & de præterita negligentia dolere, cum proposito addicendi tempore opportuno. Si vero ignorat ea, quæ sunt de necessitate præcepti, sufficit quod doleat de negligentia cum proposito addicendi. Peccaret mortaliter, qui adultum ignoratem Symboli articulos, Decalogi, & Ecclesiæ præcepta, Orationem Dominicam, indissolubilitatem Matrimonii, plurimque uxorum prohibitionem, extra mortis articulum, baptizaret. Hæc autem duo ultima ideo scitu necessaria sunt, quia non parum retrahunt infideles a baptismo. num. 61. Confessarius tenetur interrogare de Mysteriis Fidei, quos probabiliter presumat ea nescire; & id aliis, & aliis verbis querendo, & se accomodando rusticitatis pœnitentis. num. 61. 62.

9. Externa Fidei confessio est actus Fidei. Tract. 21. cap. 2. nu. 64. De ea datur præceptum divinum, & Ecclesiasticum. Hoc autem præceptum divinum est duplex: Affirmativum, quod præcipit confessionem Fidei externam, & violatur hujus confessionis omissione; & hoc præceptum non semper obligat. Aliud negativum, quod prohibet externam Fidei negationem, & violatur actu

positivo negationis: & hoc obligat pro semper. Utrumque autem violari potest, vel expresse per verba, vel virtualiter per facta, prout infra dicitur. Præceptum affirmativum tunc per se obligat quando omnimodis confessionis externæ redundaret in grave præjudicium honoris Dei, vel utilitatis proximi; ut si proponeret Deus contumelias afficeretur, contemneretur Fides, impediretur conversio aliorum, & alii Christiani scandalizarentur, vel essent in periculo negandi Fidem, aut in ea vacillandi. Si talia non sequantur, tunc solum tenetur quis Fidem palam confiteri, cum a potestate publica ut tali, & in odium Fidei interrogatur; quod si secreto & ut persona particularis, & ob motivum ad Fidem non pertinens interrogetur, non peccabit interrogatus tacendo, aut verbis ambiguis illudendo. n. 65. 66. Fidelis videns sacras imagines conculari, aut Christum contumelias affici, tenetur Fidem publica confessione tueri. n. 72.

10. Licet fidelibus fugere persecutorum, immo & tenentur. 1. cum timent se in tormentis defecturos: 2. Quando persona est tanta utilitatis, ut ejus vita sit valde Ecclesiæ necessaria: 3. Quando sua mors ita in secreto futura est, ut non possit aliis prodesse ad exemplum constantiæ: 4. Si videat Tyrannum sua morte magis in Christianos irritandum, & atrocius sæviturum. Tract. 21. cap. 2. n. 73. Si ejus confessio, & presentia sit necessaria ad Fidem promovendam, & imbecilles roborandos, non licet fugere, aut Fidei confessionem declinare. n. 74. Si Tyrannus persequatur solos Pastores, & finat gregem pacifice vivere, poterit illi fugere, dummodo per alios Ministros, qui occulte pascant, gregi provideatur. Possunt etiam fugere Pastores, ut in opportuno tempore se referent. n. 75. Si Tyrannus gregem persequatur, tenetur ex justitia, & charitate Pastores necessarii, pro defensione ovium eas non desistere tempore persecutionis; quod extenditur etiam ad alios, quorum presentia sit valde necessaria ad infirmiores animandos, & in periculo adjuvandos. No-

Notandum tamen: apud Jappones, & hæreticos, posse Sacerdotes, & Pastores licite latere, & non se manifestare, immo & e carcere fugere, ut sic valeant alios instruere, & debiles roborare, cum ex illorum carceratione & cæde, talis fructus impeditur, n. 76.

11. Omnes beneficiati curam animarum habentes, omnes Canonici, & Dignitates Ecclesiæ Cathedralis tenentur, ex præcepto Ecclesiæ, intra bimestre a die possessionis, Fidei professionem emittere, juxta præscriptum Tridentini. Tract. 21. cap. 2. num. 77. Si eam culpabiliter omittant, tenentur etiam ante Judicis sententiam ad restitutionem fructuum perceptorum post bimestre completum, num. 82. Non tamen perdunt titulum Beneficii, nec illius possessionem, nec Canonici vocem in Capitulo, aut distributiones quotidianas, num. 86. Qui Fidei professionem intra bimestre non emisit, tenetur eam quamprimum emittere, num. 87. Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi electi tenentur eam emittere, juxta Decretum Tridentini, & formam in Pontificali præscriptam, num. 88. Hæc obligatio extenditur ad Prælatos Regulares, ubi est in usu, n. 89. Doctores, & cunctumque artis liberalis professores, & lectores in quibuslibet Gymnasiis tenentur eam emittere, juxta decretum Pii IV. num. 90. Hæc fidei professio personaliter est facienda, ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii Tridentini. Ejus autem formula habetur in Bullario constit. 88. Pii IV. num. 90. 93.

12. Datur præceptum divinum negativum obligans semper, & pro semper ad non negandam externe Fidem. Tract. 22. cap. 2. n. 96. Qui negaret explicite se esse Christianum, aut Papiam &c. aut interrogatus an sit Turca, vel Lutheranus, id affirmaret, negaret utique Fidem, & peccaret mortaliter; si dicta nomina fumeretur ad exprimendam Religionem, & de hac ageretur; secus si fumerentur tantum ad indicandam Nationem, vel joci causa, ut fit in fœnicis representationibus. Si quis negaret;

se esse Clericum, aut Religiosum, vel audivisset Missam, etiam si hæreticis in odium Fidei de his interrogaretur, non peccaret mortaliter contra hoc præceptum, num. 98. 99. Sive urgeat præceptum confessionis externæ, sive non; omnino illicitum est etiam ob mortem vitandam adolere thus, genuflectere, vel alia simili actione Idolo cultum exhibere, etiam si ficto animo fiat, & sine interiore consensu, num. 100. Non erit tamen illicitum famulo, vel famulæ erga dominos suos, etiam in templo Idoli, ea obsequia præstare, quæ etiam alibi præstarentur ratione famulatus, n. 102. In peccatis contra præceptum Fidei negativum, dari nequit veniale ex parvitate materiæ; & ideo quicumque scienter negaret, vel adulteraret quancumque vel minimam veritatem, in Sacra Scriptura contentam, peccaret mortaliter, n. 104.

13. Ex justa causa licitum est fidelibus uti vestibus infidelium, quæ sunt propriæ Nationis, seu Regionis. Tract. 21. cap. 2. n. 110. At illicitum omnino est in quocumque eventu ad Fidem occultandam, uti vestibus per se primo institutis ad falsæ fidei protestationem, authorique illius cultum tribuendum, n. 112. Verum casu quo quis propriis vestibus expoliaretur, & nihil aliud haberet ad se decenter cooperiendum, & ab aeris inclementia protegendum, videtur iis posse uti: quis enim videns hominem tali veste indutum super nudum, prudenter judicare posset, ipsum ea uti ad protestationem falsæ fidei, n. 114. Ex justa causa licet uti vestibus institutis ad distinguendam unam sectam ab alia: ut est ulus turbantis inter Turcas, ut quis v.g. in eorum Regionibus securus incedat; nam tales vestes non sunt per se primo institutæ, ad protestandam Religionem, n. 117. Si Princeps præciperet omnibus existentibus in suo Regno, vel hominibus suæ sedis getationem talis signi, vel vestis in protestationem suæ fidei, vel in honorem, & cultum illius, tunc illicitum esset etiam ob mortem vitandam eis uti, num. 120. Licet

Ca.

Catholicis templa hæreticorum, Infidelium &c. ingredi in quantum sunt loca apta ad habitandum, a Coeli inclementia protegendum, vel ad se defendendum. Item licet famulis dominos infideles comitari ad Templum, cum illis intrare, & genuflectere, aut manibus eos sustinere cum Idolum adorant: Milites quoque comitantes Regem Templum intrantem possunt ejus sacrificiis assistere, etiam detecto capite, prout coram Rege stare decet; quia talis famulatus mere civilis est, ut patet exemplo Naaman Syri. Licet insuper Catholicis Templa hæreticorum intrare, cum ibi aliquod negotium civile tractandum est. Licet denique Catholicis assistentibus Missæ Græci Schismatici, cum elevatur corpus Christi illud adorare, immo & debent, cum valide consecratum supponatur: nec non & colere sacras imagines ibi expositas, num. 121.

14. Ex justa & honesta causa licet Christianis, & maxime viris doctis e motivo consultandi errores, templa hæreticorum, Infidelium, vel Judæorum sinagogas adire, eorumque concionibus interesse, dummodo ab sit scandalum, communicatio in ritibus, & cœremoniis, & propriæ perversionis periculum. Tract. 21. c. 2. n. 122. 123. Si id, solius curiositatis gratia frequenter fiat, erit peccatum mortale, ratione periculi propriæ perversionis & scandali, n. 123. Si sub gravissimis pœnis præcipiatur Catholicis Templa hæreticorum adire, eorumque concionibus interesse, omnino illicitum erit obedire, etiam si mori opus sit, n. 124. Licitum est in articulo mortis, aut in extrema ne cessitate Templa hæreticorum intrare, ad recipiendum ab eis Baptismum, aut pœnitentiæ Sacramentum, quando nullus Catholicus Minister haberi possit: immo etiam recipere ab eis Eucharistiam, vel extremam Unctionem in casu quo moribundus esset in peccato mortali, & dubitaret de contritione, nec absolutio nem Sacramentalem obtinere posset, ut sic fieret de attrito contritus. Denique licitum est amicitie causa assistere nuptiis, & funeribus hæreticorum, dum-

modo ab sit communicatio in cœremoniis, & precibus superstitiosis, n. 126. Quando ab sit species superstitionis, aut cultus falsæ sectæ, vel scandalum adstantium, licitum est in extrema necessitate Idololatriæ, fve cibis Idolo dicatis vesci, num. 128. Vitæ aut alterius gravis damni imminente periculo, licet Catholicorum per terras infidelium, aut hæreticorum transseant, diebus ad Ecclesiæ prohibitionis, vesci caribus, etiam ubi ab hæreticis talis usus v.g. die Veneris institutus est ad hæresim protestandam, dummodo ab sit scandalum, aut Catholicæ Religionis contemptus; quia cibi illi, licet ab hæreticis ordinati sint ad protestandam suam sectam, habent tamen simul, immo & per prius vitam sustentare. Si autem Tyrannus, in contemptum Religionis, Catholico talem usum præcipiat, omnino illicitum erit, etiam ob vitandam mortem illis vesci. Qui vi tormentorum, aut alterius gravis damni Fidem exterius tantum negaret, non esset vere hæreticus, nec incurreret excommunicationem contra hæreticos latam, num. 131.

15. Disputatio alia est formalis, quæ fit ad defendendam, vel persuadendam veritatem: alia est materialis, quæ fit exercitii gratia. Disputatio formalis, sive publica, sive privata cum hæreticis, & infidelibus de rebus Fidei prohibita est laicis, sub pœna excommunicationis sententiæ ferendæ, & sub mortali. Tract. 21. cap. 2. n. 132. Disputatio materialis inter Catholicos, de rebus Fidei, licita ex se est; at illicita erit si fiat coram indoctâ plebe, & lingua vulgari; aut si procedat ex dubitatione in Fide, num. 133. Probabilius est prædictam prohibitionem comprehendere etiam laicos quantumvis doctos, num. 135. At in casu magnæ necessitatis, aut utilitatis ipsi Fidei licitum esset laico docto cum hæretico disputare, quia tunc finis legis contrariæ cessaret, num. 136. Sub prædicta prohibitionem non veniunt Religiosi laici, seu Conversi: si quis tamen eorum illiteratus audeat disputare de Fide cum hæreticis, peccat graviter contra

Pars I.

G

jus

jus naturæ, ratione periculi, num. 137. Solis igitur Ecclesiasticis, fufficienti scientia præditis, licitum est publice, aut private cum hæreticis, aut gentilibus disputare de rebus Fidei: quod extenditur etiam ad clericos, sola prima tonsura insignitos, & ad Religiosos quoscumque Choro destinatos, num. 138. Illicitum est Catholicis coram Principe Sæculari, ut iudice, cum hæreticis disputare de Fide, num. 139.

§. II.

De vitiiis oppositis Fidei.

16. Vitium oppositum Fidei est infidelitas, non quidem negativa, quæ dicit carentiam Fidei; sed privativa, seu contraria, qua quis repugnat Fidei, vel contemnit eam. Infidelitatis privativæ tres sunt species: *Paganismus*, *Judaismus*, & *Hæresis*. Tract. 21. cap. 3. n. 1. *Paganismus est voluntarius error, cum pertinacia, resistens Fidei nullo modo susceptæ*. Sub Paganismo continentur Atheismus, & Turcismus, quia, uterque resistit Fidei nullo modo susceptæ; quod est de formali in Paganismo. *Judaismus est voluntarius error, cum pertinacia, resistens Fidei in figura susceptæ*, num. 2. 3. Ex gravissima causa, quæ ad commune bonum Religionis pertineat, possunt Principes Christiani permittere Paganos, & Judæos inter Catholicos commorari, & suos ritus peragere. num. 5. Hæretici, & Apostatae armis spiritualibus, & temporalibus ab Ecclesia compelli possunt ad Fidem, in Baptismo susceptam, servandam, num. 6. Non potest Ecclesia cogere infideles, & Judæos sibi temporaliter non subditos, ad Fidem audiendam; bene vero si subditi sint, num. 7. 8. Ecclesia habet plenissimam potestatem ad prædicandum ubique terrarum Evangelium. Hæc potestas unice est in Summo Pontifice, non vero in alio quovis Principe Catholico, & ideo nullus abique illius concessione potest terras infidelium occupare ad fidem seminandam, & defendendos Evangelii prædicatores.

num. 9. Ecclesia potest vi, & armis; coercere Principes infideles impediens, perfectione, aut blasphemis, prædicatores Evangelii, num. 10. Per se loquendo non licet mittere prædicatores Evangelii militibus stipatos, num. 11.

17. Infideles non subditi Ecclesiæ, habere possunt non solum jurisdictionem in subditos fideles, sed etiam dominium proprium, tam in bona temporalia, quam in personas. In Regnis vero catholicis incapaces sunt jurisdictionis de novo instituendæ in catholicos. Tract. 21. cap. 3. n. 12. Infideles, Christianis Principibus subditi, habere non possunt servos, & ancillas/fideles. Hoc tamen non intelligitur, de servis emptis; sed illos debent intra tres menses venales exponere. Nec comprehenduntur coloni, sive adventitii, sive originarii in prædiis infidelium; quia in hoc famulatu non intervenit frequens cohabitatio. Filii infidelium statim ac Baptismum suscipiunt liberantur a patria potestate, num. 12. 13. Ecclesia non potest directe privare Principes infideles, non sibi subditos jurisdictione, & dominio, in subditos, & servos fideles; bene vero indirecte, cum subditi fideles a Principe infideli vexantur, ut fidem deserant, vel si adit perverfionis periculum, num. 14. 15. 16. Ecclesia, aut alii Principes Christiani non possunt, vi cogere infideles non subditos ad relinquendum errores, ritus, & peccata etiam juri naturali contraria, eoque etiam hoc debellare, aut illis Regna auferre, num. 19. Possunt tamen Turcæ debellare, quia actualiter injuriam inferunt Christianorum terras occupando, num. 21.

18. Communicatio cum infidelibus, in operibus infidelitatis, est jure divino, & naturali prohibita. Tract. 21. cap. 3. num. 24. Quæ per se ad sacrilegos usus sunt determinata, ut sunt idola, vestes sacerdotales, Melquitzæ &c. infidelibus vendere aut eis fabricare illicitum est; quæ vero ex se indifferenter sunt, ut Agni Patheales, lactuca aggregata, cultri &c. eis vendere licitum est.

licet prævideatur eos talibus abusus ad superstitiosum cultum, dummodo id a vendente non intendatur. nu. 25. Non licet admittere infideles ad participationem Sacramentorum; possunt tamen admitti ad Missam Cathecumenorum, conaciones, & orationes privatas; cum hæc ad utilitatem eorum conducant, & ex hoc nulla nostræ Religioni indecentia resulet. Gaudent quoque infideles, ad Ecclesiam confugentes, immunitate Ecclesiastica. n. 26.

19. Communicatio civilis fidelis cum infideli ex se, aut jure divino prohibita non est; bene vero jure Ecclesiastico, sub pena excommunicationis sententiæ ferendæ quoad laicos, vel depositionis quoad clericos, in sequentibus casibus. Et 1. Prohibetur Christianis famulari Judæis vel Saracenis, sive intra domum habitando cum eis, sive extra; sive famulatus sit diuturnus, sive interpolatus; & similiter eis subijci vinculo servitutis, & mancipatus. Sub hac tamen prohibitione, non comprehenduntur coloni sive adscriptitii, sive originarii. 2. Convitiis formalibus eorum interesse, eoque ad hæc invitare. 3. Judæorum azima ab eis recipere, iisque ritu judaico vesci, vel cum aliorum scandalo. 4. Socialiter cum Judæis, & ex conducto in balneum intrare, & cum ipsis in eolavari. 5. Medicis Judæis, vel Saracenis uti, vel medicinas sibi ab eis applicari permittere, extra casum necessitatis. 6. Hebræorum filios lactare in eorum domibus: si tamen hoc fiat una, vel altera vice tantum, non erit mortale. 7. Judæorum Universitates, vel Collegia, nec non & quoscumque Judæos, infideles, seu hæreticos in particulari hæredes, seu legatarios instituire, licet sint consanguinei testatoris; nisi cum eorum aliquis sit in extrema necessitate. Tract. 21. cap. 3. num. 27. &c. In omnibus aliis rebus civilibus licet cum Judæis, & infidelibus communicare, & commercium habere, num. 38.

20. *Hæresis est error voluntarius, & pertinax contra aliquam doctrinam, & veritatem Fidei Christianæ in eo qui Fidem re-*

cepit. Qui paratus est corrigi, quando sciat aliter definitum esse ab Ecclesia, non est pertinax. Tract. 21. cap. 3. nu. 40. Ignorantia quæcumque etiam trassa seu supina, & asseclata excusat ab hæresi, licet non a culpa mortali. Tract. 10. cap. 40. n. 50. 52. Dubitans vel opinans positive circa res fidei, hæreticus est; si vero perpensis utraque partis rationibus suspendit iudicium, non positive iudicando rem esse dubiam, sed negative se habendo, probabilis est talem non esse hæreticum. num. 56. Qui vel metu compullus, vel malitia tractus Idolo thus adoleret, Christum conculcaret, Fidem verbis negaret abique ullo tamen interno errore, non esset formaliter hæreticus, nec censuras, in sequentibus casibus. Et 1. Prohibetur formaliter hæreticorum in foro interno incurreret. Tract. 21. cap. 3. num. 41. Si quis tamen, ut faveret hæreticis, Fidem exterius tantum negaret, incurreret aliam excommunicationem latam contra fautores hereticorum. num. 42. Qui tentationes gravissimas Fidei aut blasphemie contra Deum, & Sanctos involuntarie patitur, quamvis sibi videatur dubitasse vel consensisse, & timeat se esse hæreticum, & de hoc angatur, non est hæreticus. nu. 43. Verius est eum, qui revelationi privæ certo, & evidenter cognite non credit, esse formaliter hæreticum; nam qui certo cognoscit Deum sibi loqui, & non credit, vel primam veritatem contemnit, vel iudicat posse mentiri. Hic tamen non incurreret penas pro hereticis latas, nec Ecclesia posset illum ex hoc punire, quia non iudicat de internis; nec talis revelatio proponitur ab Ecclesia ad credendum, num. 44. 45. Negans propositionem Theologicam immediate deductam ex Propositione de Fide, ut v. gr. Christus est filius Dei; que immediate deducitur ex hac de Fide: Christus est homo; non est hæreticus, num. 46.

21. *Pernitencia* requiritur ad hæreticum, consistit in eo quod quis sciens, tenet aliquid contra id quod ab Ecclesia est definitum; nec requirit temporis moram sed potest in instanti consummari. Tract. 21. cap. 3. num. 47. Hæreticus est

qui tenet aliquid contra definitionem Ecclesiæ paratus corrigi si argumentis convincatur: qui ita credit Myſteria Fidei, quod non crederet si testimonia evidētia eum non convincerent: qui ita assentitur Fidei Catholice, quod si aliam Fidem suo iudicio meliorem inveniret, eam amplecteretur: Qui ita adhæret suæ opinioni, quod esset determinatum eam non deponere, licet Ecclesia oppositum definiret: Qui denique non assentitur veritati, quam erronee putat ab Ecclesia definitam. num. 48. Probabilis est non solum peccare mortaliter, sed etiam esse pertinacem, & hæreticum, qui non assentitur rebus Fidei, quas ut de Fide credendas proponit Episcopus, vel Inquisitor. num. 50. Probabilis est, quod ad hoc ut quis sit formaliter hæreticus in foro interno, & coram Deo non requiratur susceptio Baptismi, sed sufficiat quod Fidem interius susceperit: & ideo Catechumenus, & qui invalide baptizatus est, ob defectum formæ, vel materiæ, vel intentionis Ministri, est formaliter hæreticus: Qui vero fide, & sine intentione recipiendi Fidem, & Baptismum, baptizaretur; si non credat, non est hæreticus. num. 52. Catechumenus non baptizatus, recedens a Fide, nequit ab Ecclesia puniri ut hæreticus. Similiter nec ille, qui bona fide Baptismum susceperit, invalide tamen, si de invaliditate constet, casu quo recedat a Fide. num. 54. 55. Si quis sine intentione, & apparenter tantum baptizetur, potest ob hæresim ab Ecclesia puniri; quia ejus fictio probari nequit. num. 56.

22. *Apostasia est error voluntarius, & pertinax contra omnem veritatem Fidei Christiane in eo qui Fidem suscepit.* Tract. 21. cap. 3. num. 57. Probabilis est Apostasiam non differre specie ab hæresi, sed tantum secundum magis, & minus; ideoque quicquid de hæresi dictum fuerit, est etiam Apostasie proportionabiliter applicandum; si vero quid speciale occurrerit, adnotabitur. num. 58. Hæresis dividitur in formalem, cujus definitio jam tradita est; & materialem,

quando scilicet quis non pertinaciter errat; vel quando quis, exterius tantum, negaret aliquam Fidei veritatem sine assensu, vel errore interno. Hæresis formalis dividitur in mentalem, seu pure internam, & mentalem externæ conjunctam. Pure mentalis est, quæ nullo signo ex ipsa hæresi interna orto manifestatur exterius; externa vero internæ conjuncta est, quando error internus aliquo signo ex ipsa hæresi orto, & per se illius manifestativo ostenditur. Quæ iterum subdividitur, in omnino manifestam, & est cum manifestatur verbo, aut signo, aliquo vidente, vel audiente; & in manifestam per se, sed occultam per accidens, scilicet cum nullus adest, qui tale videret signum, vel verbum audierit. n. 59.

23. *Pœnæ contra hæreticos latæ aliæ sunt spirituales, nempe excommunicatio latæ sententiæ in Bulla cœnæ; irregularitas: privatio potestatis spiritualis, scilicet jurisdictionis: privatio beneficiorum rite acceptorum, & inhabilitas ad alia obtinenda: privatio Ecclesiasticæ sepulture; ad quod non requiritur quod hæreticus sit specialiter denunciatus, sed sufficit quod sit publicus, & notorie in hæresi moriatur.* Tract. 21. cap. 3. n. 61. 62. 63. Aliq̄ sunt temporales, nempe confiscatio omnium bonorum; infamia, ob quam sunt inhabiles ad omnes honores, dignitates, & officia, quod extenditur ad eorum filios post lapsum in hæresim genitos: perpetuus carcer: & denique pœna mortis, quam licet possit Ecclesia per se ipsam inferre, nihilominus pro ejus executione reum tradit judici seculari. num. 64. Hæreticus pure internus non incurrit excommunicationem contra hæreticos latam, bene vero hæreticus internus simul & externus, licet per accidens occultus. num. 70. Hæreticus pure externus excommunicationem in foro conscientie non incurrit. Ad incurrendam pœnam non solum requiritur actus externus de se insufficienter manifestativus hæresis internæ; sed etiam quod iste actus sit peccatum mortale in materia hæresis; & quod sit si-
gnum

gnum completum, & integrum ad hæresim internam exprimentam; sive hoc habeat ex se, sive ex consuetudine, sive ex circumstantiis antecedentibus, concomitantibus, vel consequentibus vel ex qualitate personæ. num. 71. 72. 73. Si quis hæresim mente concipiens, consensum sic exprimat: ita est, vel sic credo: non est hæreticus externus; nisi talia verba ad significandam hæresim ex circumstantiis adjunctis determinentur: ut si quis interne credens Christum non esse Deum, de hoc interrogatus, responderet: ita esse. num. 74. Manifestans hæresim internam verbis æquivocis, vel ambiguis est vere, & proprie hæreticus, & ut talis habendus, & excommunicationem incurrit. num. 75. Qui hæresim internam sacramentaliter confiteatur; vel ad hanc deponendam consulti virum doctum, non est hæreticus externus, nec excommunicationem incurrit: sicut nec qui legit, transcribit, vel disputando pronunciat hæresim, quam habuit antea; nec qui hæresim internam scribit characteribus tantum sibi notis; nec qui in somnis hæresim internam manifestat. n. 76. 78.

24. In excommunicatione Bullæ cœnæ, contra hæreticos lata, comprehenduntur hæretici cuiuscumque sectæ; eorum receptores, fautores, defensores, eis credentes, eorum libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine Sedis Apostolicæ licentia legentes, retinentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa publice vel occulte. Credentes dicuntur omnes illi, qui eorum errori assentiuntur, sive in communi sive in particulari; sive expresse, sive in consilio, dummodo consensus signis externis manifestetur. Tract. 10. cap. 4. num. 63. Fautores hæreticorum sunt qui quomodocumque eis in causa Fidei favorem præstant sive commissio-
ne: hospitando, defendendo, consilium præbendo, laudando, occultando, in loco sacro sepeliendo &c. vel omissione: non denunciando; non capiendo, non custodiendo, non puniendo &c. Rece-

ptores dicuntur, qui scienter hæreticam, ob causam hæresis fugientem hospitio recipiunt, vel occultant sive publice sive secreto. num. 64. 65. Defensores dicuntur, qui illorum errores defendunt argumenta conficiendo, objectiones solvendo, verbis vel scriptis laudando; etiam erroribus non præstetur assensus. Insuper eos defendendo ne capiantur, vel captos liberando, eorum punishmentem impediendo vi, muneribus, minis, vel dolo. num. 66. Probabilis est, eum qui non animo fovendi hæresim, sed ex alio motivo, v. g. ob amicitiam, consanguinitatem, beneficia accepta &c. favorem, hospitium, defensionem præbet hæretico, etiam in causa hæresis, seu Fidei, dummodo non ut est hæreticus, non incurrare excommunicationem, aliaque pœnas contra fautores &c. latas. num. 68. Idem probabilis dicendum de eo; qui prædicta præstaret, etiam animo fovendi hæresim, effectu non secuto; Ut si v. g. occultavit ne caperetur, & nihilominus captus est: procuravit impedire ne puniretur, & tamen punitus est. n. 69. 70. Ex vi Bullæ cœnæ prohibentur tantum libri hæreticorum, sive impressi, sive manuscripti hæresim continentes, licet unicam contineant, vel de Religione tractantes ex professo, nempe de Scriptura Sacra, de Theologia Scholastica, vel morali, de Myſteria Fidei, de cultu Dei vel sanctorum: si autem obiter tantum de his tractent, sub hac prohibitione non cadunt. Nomine autem libri veniunt etiam brevis scriptura, oratio, concio, quæstio, & epistola. Libri non baptizatorum, & si hæresim contineant, aut de Religione ex professo tractent; libri etiam Catholicorum, qui ex ignorantia vel ex malitia hæreticorum aliquos habent errores insertos sub hac prohibitionem non veniunt. num. 71. 72. Per lectionem intelligitur etiam lectio mentalis, intelligendo quod legitur. num. 74.

25. Circa abolitionem ab hæresi, & excommunicatione ob eam incurſa; (relictis iis quæ sunt communia aliis excommunicationibus, de quibus alibi:) sciendum

dum est primo, quod quotiescumque hæresis non est annexa excommunicatione, ex quocumque capite id accidat; vel si erat annexa, jam per absolutionem extra sacramentalem sublata est, quilibet Confessarius ab ea absolvere potest; quia hæresis non est reservata, nisi ratione excommunicationis. Tract. 10. c. 4. n. 57. ibid. Nullus virtute Bullæ Cruciatæ, aut Jubilæi ab hac excommunicatione absolvere potest: immo neque Prælati Regulares possunt ab ea absolvere suos subditos, licet possint ab aliis in Bulla cænæ contentis: neque eos ob hoc crimen punire, vel judicare, licet occultum sit. In mortis autem articulo quilibet Sacerdos, etiamsi degradatus sit, aut hæreticus absolvere potest; dummodo non adsit qui legitime absolvere valeat. In articulo mortis censetur esse etiam mulier partui proxima, & qui aggressurus est bellum, vel periculosam navigationem omnino necessariam. n. 58. & tract. 21. cap. 3. n. 93. Possunt Episcopi, etiam post Bullam cænæ, absolvere ab hæresi occulta in foro conscientie per se ipsos tantum, non vero per Vicarios, ex facultate illis a Tridentino concessa: nec ista sententia damnata est per decretum Alex. VII. sed solum damnatur assertio: quod visa, & tolerata sit in Consistorio Sacre Congr. Cardinalium. Tract. 21. cap. 3. num. 84. In generali confessione facultatis ad absolvendum ab omnibus casibus Bullæ cænæ per Bullam, aut Jubilæum, non censetur concessa facultas absolvendi ab hæresi, nisi specialiter exprimat. Tract. 21. cap. 3. num. 88. Inquisitores possunt pro foro conscientie ab hæresi absolvere etiam extra confessionem, vel absolutionem alteri delegare. num. 90. Quod si Inquisitor juxta oppositam sententiam probabilem, velit tantum judicialiter absolvere coram Notario abjuratone præmissa; & ipse etiam Episcopus Sacramentaliter absolvere nolit, & hæreticus occultus sit persona nobilis, doctus Religiosus, vel Sanctimonialis, & urgeat præceptum celebrandi, aut constandi, tunc probabile est posse omnia

peccata confitendo Confessario inferiori directe a non reservatis absolvi, & indirecte ab hæresi, aliisque reservatis, ratione scandali, aut infamiae. num. 91. 92.

26. Duplex datur denunciatio: Evangelica, quæ fit superiori ut Patri spirituali, & ordinatur ad emendationem; & judicialis, quæ fit superiori ut iudici, & ordinatur ad punitionem. Duplex quoque datur differentia inter accusationem, & denunciationem. Prima, quod accusator tenetur probare delictum, non autem denunciator. 2. Quod accusator petit vindictam delinquentis, & ad eam judicem compellit; denunciator vero nihil petit, sed totum iudicis conscientie, & officio relinquit. Sub pena excommunicationis majoris tenentur fideles ad hæreticos statim denunciandos, omnia omni correptione fraterna, si sint publici, si ve occulti, etsi delictum probari non possit. Tract. 21. cap. 3. n. 94. 95. 97. 99. Non tenetur denunciare hæreticum, qui tale crimen ex Sacramentali confessione cognovit. num. 103. Non tenetur hæreticus denunciare seipsum, vel criminis sui socios, nisi quando id expedit bono communi, vel quando juridice interrogatur. num. 104. Probabilis est teneri parentes, maritum, fratrem, denunciare filium, uxorem, fratrem respective, quos hæreticos esse norant, & e converso, etiam cum periculo vite, vel gravis damni. num. 106. 109. Probabilis est, debere denunciare hæreticum occultum etiam emendatum n. 111.

27. Tenentur fideles denunciare Inquisitoribus etiam personas a jurisdictione eorum exemptas; ut sunt Cardinales, Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, in quocumque casu debent Inquisitores deferre denunciationem ad Summum Pontificem. Tract. 21. cap. 3. num. 115. Omittens denunciare incurrit ipso facto excommunicationem majorem Summo Pontifici reservatam, a qua nullus absolvere potest, nisi denunciatio præmissa. num. 116. Nemo tamen tenetur denunciare eum, quem aut ex levibus indi-

indiciis, aut quia a parum fide dignis audivit, hæreticum esse suspicatur: ideoque nisi ipse viderit, vel audivit a personis fide dignis delictum contra Fidem; aut ex ipsius Rei confessione non sacramentali cognoverit, denunciare non tenetur. Præceptum denunciationis solum tenet in hæretico proprio, & pertinaci, non vero in eo, qui per ignorantiam, incuriam, aut lapsum lingue hæresim protulerit; quia talis non est formaliter hæreticus, & si eum secreto corripiamus, certa spes ad emendationem: ex quo inferitur, non esse denunciandum hominem simplicem, & piæ profertem aliquam propositionem hæreticalem; nec similiter concionatorem ex incuria, aut inconsideratione profertem aliquam propositionem erroneam, vel hæreticalem: quæ si omnes, ut debent, obviarent, proximorum famæ non semel, ut par est, parceretur. num. 117.

28. *Blasphemia est falsa locutio in Deum per modum convicii.* Dividitur in blasphemiam cordis, quæ mente concipitur; & blasphemiam oris, quando scilicet blasphemiam cordis ore profertur. Dividitur præterea in simplicem, quæ scilicet non opponitur directe articulis Fidei: & hæreticalem, quæ iis directe opponitur. Si huic accedat pertinax assensus intellectus, committitur crimen hæresis. Præterea blasphemia, alia est, quæ immediate contra Deum ipsum profertur; alia vero immediate contra sanctos, & mediate contra Deum. Quoties aliquid falsum de Deo dicitur, si ve in re dicendo quod non est, aut negando quod est; si ve ex modo loquendi, contumeliose, aut ex contemptu, ira, & odio contra Deum, profertur de eo quod verum est, sed quasi esset aliquid ignominia vel irrisione dignum, & ex intentione debonorandi eum; committitur peccatum blasphemie. Idem dicendum de blasphemia in Beatam Virginem, & sanctos. Tract. 21. cap. 3. num. 118. 119. 120. Blasphemia ex genere suo est peccatum mortale, nec potest fieri veniale ex parvitate ma-

terie. num. 122. Blasphemia hæreticalis opponitur Fidei; blasphemiam vero ex odio, & detestatione Dei opponitur Charitati; cæteræ vero si ve contra Deum, si ve contra Sanctos opponuntur tantum Religioni. Et ideo triplici tantum specie in ratione blasphemie distinguuntur. Atamen in confessione explicandum est, an blasphemiam fuerit in Deum, vel B. V. vel Sanctos; quia harum singulæ ultra propriam speciem, important aliam malitiæ specie distinctam, contra Mariam, vel Duliam, vel Hyperduliam, qui sunt cultus Deo, Beatæ V., & Sanctis debiti, & inter se specie distincti. num. 123.

29. Blasphemie hæreticalis cognitio pertinet ad solos Inquisitores: cæterarum vero blasphemiarum cognitio, & punitionum ad Episcopos, tum ad iudices seculares, & est mixti fori, & datur locus preventionis. Tract. 2. cap. 3. n. 128. Audiens aliquem blasphemias profertem, tenetur illum denunciare iudici competenti; & talis denunciatio quoad blasphemias hæreticales, sub pena excommunicationis majoris, intra sex dies a notitia habita faciendâ est, nulla præmissa correptione fraterna. Quoad cæteras vero blasphemias servandus est ordo correptionis fraternelæ. num. 129. Simplex blasphemiam non est jure communi reservata, nec habet annexam censuram; solet tamen ab Episcopis reservari; quod si non reservetur, poterit ab ea quilibet Confessarius absolvere pro foro conscientie. Omnes Regulares possunt absolvere pro foro conscientie a blasphemias hæreticalis, fortillegio, maleficio, magia, adoratione demonis, aliisque delictis Sancto Inquisitionis officio reservatis, quando hæc non procedunt ex errore contra fidem, sed ex ira, avaritia, vel alia passione, dummodo hæc non sibi Episcopus reservaverit. num. 131.

De delictis suspensis de heresi.

30. Suspicio est opinio mali, ex levibus indicibus proveniens; quæ si sint probabilis, erit suspicio probabilis, per quam venitur ad præsumptionem: si autem, erit iudicium temerarium. Præsumptio est conjectura, ex gravibus verisimilibus signis: iudicium vero est causa utriusque: hic autem suspicio, & præsumptio pro eodem accipiuntur. Tract. 21. cap. 4. n. 1. Ex iure triplex est suspicio: levis, vehemens, & vehementissima, seu violenta. Levis est quæ oritur ex levibus conjecturis, & modica etiam, levisque defensione tollitur. Levi suspicione laborant, in materia Fidei, qui V. G. occulta conventicula celebrant: qui vita, ac moribus a communi hominum conversatione deviant &c. n. 2. Vehemens suspicio est, quæ utitur ex fortibus, & magnis argumentis, ex quibus plerumque concluditur, quod talia dicens, aut faciens sit hæreticus, ut sunt fautores, receptatores, defensores hæreticorum n. 3. Suspicio violenta est, quæ oritur ex iudiciis, verbis, aut factis, quæ cogunt iudicem ad credendum, sic facientem esse hæreticum: ut si quis V. G. aliquem hæreticum ut Sanctum adoret: hæreticorum templa frequentaret: propositiones hæreticas publice assereret &c. num. 4. Erit autem regula generalis: omnes qui in exercitio ponunt ritus hæreticorum, Judæorum, Saracenorum, aliarumve sectarum: qui committunt delicta opposita exteriori confessioni Fidei: qui irreverenter tractant Dei Sacramenta: qui quomodolibet favent hæreticis in causa Fidei, eorumque libris; vel impediunt ne contra eos procedatur, esse de Fide suspectos, & ex edito S. Romanæ Inquisitionis generalis inquisitoribus denunciandos. n. 5. sunt pariter de Fide suspecti, & consequenter ex eodem edito denunciandi, qui vivente conjugè nuptias contraherent: clericis in sacris consecratis, aut Religiosi professi etiam societatis Jesu, qui tantum

vota simplicia emisissent, matrimonium sive publice, sive secreto contrahentes: Sodomitæ, & bestialitatem committentes: Confessarii sollicitantes ad turpia in confessione: ac denique omnes Magi, Astrologi Judicarii, Lamiæ &c. Consultantur de hac re ex professo tractantes: Carena, Eymericus, Penna, Hurtado, & alii, n. 6. &c. Notandum, quod ut penæ in const. 20. Sancti Pii V. contentæ incurrantur, debet sodomia esse perfecta, & iterato commissa. n. 11.

31. Sollicitare (quantum ad præsens attinet,) est aliquo signo exteriori, ut verbis, tactibus, nutibus amatoris provocare, allicere, movere, & tentare ad actus inebestos, & veneros sive inter se, sive cum aliis peragendos. Tract. 21. cap. 4. num. 22. Quicumque Sacerdos, seu Confessarius, qui perionas, quæcumque illæ sint, ad inhonestas sive inter te, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis confessionis; sive ante vel post immediate, seu occasione, vel prætextu confessionis, etiam ipsa confessione non secuta, sive extra occasionem confessionis in Confessario, aut in loco quocumque, ubi confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulando ibi confessionem audire sollicitaverit, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, seu tractatus habuerit, intra terminum in edito præscriptum, denunciandus est Inquisitoribus, vel Ordinariis ubi Inquisitio non est. num. 17. 20. 24. ex Bulla Greg. XV. §. 5. Sacerdos sine iurisdictione confessiones audiens, & in eis sollicitans denunciandus est, num. 25. Sacerdos interpret penitentis, & in eo casu sollicitans non est denunciandus. num. 28. Episcopi sollicitantes Summo Pontifici denunciandi sunt, si commode fieri potest; si autem. Inquisitoribus, ut ipsi deferant ad Apostolicam Sedem. num. 30. Nomine Episcopi, hoc loco, veniunt omnes Episcopi consecrati, Titulares, Electi confirmati a Summo Pontifice, Nuncii, Legati extraordinarii, & Abbates iurisdictionem quasi Episcopalem

lem habentes, & Inquisitor generalis Hispaniæ: non vero Generales Ordinum, alique Prælati. num. 31.

32. Etiam dato quod actus inhonesti, ad quos Confessarius sollicitat, essent tantum ex se venialiter peccaminosi, non tamen essent tales in ordine ad sollicitationem, quia in ea non datur parvitas materiæ; prædictæ enim actiones, licet alias leves; graviter offendunt reverentiam sacramento debitam; ideoque etiam ob tales actus denunciandus est Confessarius. Tract. 21. cap. 4. num. 32. Laudans penitentem de pulchritudine & ornatu sine pravo fine non est denunciandus; bene vero si cum pravo fine, aut de hoc rationabiliter præsumatur: idem dicendum de eo qui dedit donum insolitum penitenti, vel diffusit confessionem. Quare qui diceret penitenti; Injuriam facis tuæ pulchritudini, tui copiam aliis faciendo; non censetur sollicitare; si vero diceret: te in meam uxorem acciperem, si voto adstrictus non essem; hic vere sollicitans est. nu. 34. Denunciandus est, qui in confessione dedit penitentiam feminae, ut ab ipso domi denudata verberetur: item qui proxime ad confessionem somnum penitenti aliqua arte induxit, eamque hoc modo, vel etiam casu sopitam cognoscit, aut turpiter tangit: item si penitentem dicat: mihi displicet quod causam dissolvendi amoris turpis offeras: pariter qui suadet feminæ ut sibi ostendat vas naturale, quod ex confessione morbo infectum cognoverat: qui in confessione penitenti manifestat, se voluntarie non poluisse: qui penitenti suadet ut filiam prostituat, vel aliam personam ad fornicandum inducat. n. 35. 36. 37. Denunciandus quoque est, qui in confessione chartam tribuit penitenti postea legendam, in qua ad Venerem incitat: qui sollicitatus a penitente ad Sodomiam, ad copulam naturalem divertit; & etiam in probabiliori sententia, qui sollicitatus a penitente ad copulam, divertit ad tactus, & amplexus: & qui sollicitatus a penitente consentit. nu. 38. 40. 41. Qui ministrans alia Sacra-

menta sollicitat, non est denunciandus, nisi simulat, aut fingat Sacramentum penitentiae. Similiter nec qui in confessione sollicitat ad alia quæcumque peccata extra materiam venerem. n. 43.

33. Tunc fit sollicitatio ad turpia in actu confessionis Sacramentalis, cum Confessarius ad ea provocat penitentem, quando sua peccata incipit confiteri, & ad hoc accedit ad Confessarium paratum excipere confessiones. Quare denunciandus est, qui non absolvens penitentem, ex eo quod indispotus accedat, eum tamen sollicitat: item qui per verba conditionata sollicitat dicens penitentia; si locus id permitteret, si non fieret injuria Sacramento &c. animi meum tibi exponerem. Similiter denunciandus est Confessarius, qui cum penitens sub signo Crucis incipit confiteri, eum interruptit, & ad venerem sollicitat. Tract. 21. cap. 4. num. 46. 47. Licet ex decretis S. Pii V. & Clem. VIII. solum sollicitans in actu Sacramentalis confessionis esset denunciandus; tamen ex constit. Greg. XV. denunciandus est etiam, qui penitentem sollicitat sive ante, sive post immediate, seu occasione &c. Tunc sollicitatio fit ante, vel post immediate, quando inter sollicitationem, & confessionem nihil mediatur, ita quod nec Confessarius nec penitens ad alia se divertant. num. 48. Hinc sequitur primo denunciandum esse Confessarium, qui simulans confessionem, penitentem accidentem provocat ad venerem, etiam penitens dicat se velle in crastinum confiteri, & occasione hujus dicti ad venerem tenet. Nec non & Confessarium, qui filiam confessionis, ex antecedentibus notam ante signum Crucis præoccupat, eamque sollicitat. num. 49. Sequitur secundo denunciandum esse Confessarium qui immediate post confessionem dicit puerum in cubiculo, ut ei tradat chirographum confessionis, ibique enim sollicitat, quia hic casus, ratione dependentie includit confessionem. At si quis ex confessione agnoscesset penitentem ad venerem proclivem, illam insequens in itinere vel

domi sollicitet; verius est non esse denunciandum, quia datur diversio ad alia: idem de mittente post confessionem literas amatorias, &c. dummodo non immediate dentur, dicendum est: & licet hi utantur scientia confessionis, non tamen verificatur eos sollicitare occasione confessionis. n. 50. 51.

34. Tunc quis sollicitat occasione confessionis, quando rogatus ut audiat confessiones, divergit penitentem a confessione, seu que in aliud tempus dilata, ad venerea provocat. Tunc vero pretextu confessionis sollicitat, cum sub velamine confessionis, quam vel minime, vel minus principaliter intendit, sollicitat ad venerea. Tract. 21. cap. 4. num. 52. Confessarius vocatus a muliere fingente se egrotam, ad ejus confessionem domi audiendam, & ab ea ibi sollicitatus, & ad consentiendum metu gravis damni compulsus, si confessione incepta consentiat, denunciandus est, si vero non sit incepta, minime; quia nulla fit injuria Sacramento, nec adest ex parte Confessarii pretextus confessionis, qui præcipue a Pontifice intenditur prohiberi; & licet metus non fit cadens in virum constantem in ordine ad excusandum a culpa; est tamen sufficiens ad non incurrendas penas contra sollicitantes latas. num. 54. Si ambo domum ex condicto conveniant ad ibi venerea peragenda, vocato a muliere Confessario sub titulo confessionis, ut ei facilius a Prælo licentia concedatur: dummodo non simulet confessionem ad domesticos decipiendos, talis Confessarius non est denunciandus. num. 55. Qui sub pretextu confessionis sollicitat penitentem, etiam si non sequatur confessio, denunciandus est. n. 56. Si Confessarius extra occasionem confessionis, nec simulando confessionem, in confessionario feminam stantem vel sedentem alloquatur, eamque sollicitet, non est denunciandus: bene vero si simulet confessionem. num. 57. Confessarius in Confessionario a penitente sollicitatus si consentiat, quia ipsa minatur se eum accusaturam Inquisitori,

si non consentiat, denunciandus est. num. 59. Probabilius est feminam teneri denunciare sollicitantem, etiam si ipsa consenserit; non tamen tenetur manifestare suum consensum num. 66.

35. Nedom persona sollicitata, sed etiam quilibet alius certo sciens crimen sollicitationis tenetur sollicitationem denunciare, intra terminum præscriptum, numerando dies a notitia criminis, etiam si talem notitiam habens sit impubes, dummodo sit doli capax. Tract. 21. c. 4. n. 68. Pro personis Decreti ignavis, numerantur dies præfixi pro termino a notitia Decreti. Qui scit sollicitationem a feminis levibus, vel aliis personis Si qui denunciare tenetur, ire debeat, ubi denunciare non possit, tenetur tempus prævenire. Omittens denunciare intra terminum præfixum, peccat mortaliter, & incurrit excommunicationem, a qua nemo virtute cujusque privilegii, Bullæ, aut Jubilei absolvi potest, donec denunciaret; vel saltem, (si necessitas urgeat communicandi, ob vitandum scandalum, & sit persona fide digna) quamprimum denunciare promittat. Sollicitans potest a quolibet Regulari virtute privilegiorum absolvi. num. 69. 70. etiam si sollicitans moriatur ante denunciationem, adhuc denunciandus est. num. 71. Sollicitans in terris infidelium denunciandus est, cum ad fidelium Regna pervenerit. num. 72. Qui ob sollicitationem jam punitus est, debet nihilominus de alia sollicitatione ante punitionem commissa, de qua nec denunciatus, nec punitus fuit, denunciari. num. 73. Probabilius est debere denunciari sollicitantem, etiam si sit emendatus. num. 77. Sollicitans denunciandus est, licet non sit diffamatus. num. 81.

36. Ab obligatione denunciandi sollicitantes, & alia crimina ad S. Officium spectantia, non excusantur pater, filius, frater, vel quicumque alii delinquentis cognati. Tract. 21. c. 4. n. 83. Persona sollicitata non evadit obligationem denunciandi, constituendo cum ipso sollicitante. num. 84. Qui scit sollicitationem sub se-

creto

creto naturali, etiam juramento firmato, probabilius est teneri denunciare; non tamen si sciat ex confessione Sacramentali, aut si ei manifestata sit petendi solliciti causa. num. 85. Regulariter loquendo, metus cadens in virum constantem, excusat a denunciatione sollicitantis: at si sollicitans sit persona magnæ auctoritatis, & seduceret penitentes, frequenter hoc crimen committendo, denunciandus est etiam cum vitæ periculo. n. 89. 91. Sollicitatio dubia ex parte Confessarii; ut quando tale delictum, vel factum est certa sollicitatio, sed dubitatur an Confessarius id fecerit, denunciari debet, ut Inquisitor cognoscat de veritate. Si vero dubia sit ex parte facti; ut cum certum est, Confessarium hoc fecisse, vel dixisse, sed dubitatur an sit sollicitatio in Decretis comprehensa, non tenetur penitens denunciare. num. 93. 94. Denunciatio sollicitantis omnino faciendâ est, omnia correptione fraterna. num. 100. Facienda est personaliter, si commode fieri potest; sin autem, vel in scriptis, vel mediante docto, & prudenti Confessario. Peccat mortaliter qui delinquentes a S. Tribunali punitos alius manifestat, licet hoc Inquisitor non veterit. Regularis a S. Officio punitus eo ipso remanet inhabilis ad omnia officia, & gradus, nisi a Summo Pontifice, vel Inquisitore rehabilitetur. num. 108. 109. 112.

CAPUT II

De Spe, & vitiis oppositis.

37. **S**pes est habitus supernaturalis, quo creatura rationalis sperat beatitudinem supernaturalem sibi, virtute divini auxilii ut ardua futurum, consequendam. Tract. 21. cap. 5. n. 1. Subjacetur uni-verse in voluntate. num. 2. Non potest esse in beatitudine, nec in hereticis, vel infidelibus, nec in damnatis: bene vero in animabus purgatorii, & in peccatoribus fidelibus non desperantibus. num.

3. Datur speciale præceptum Spei tum affirmativum divinum, quo tenemur aliquando elicere actum Spei: tum etiam negativum, nunquam desperandi. num. 4. Præceptum affirmativum primo, & per se obligat, quando homo attingit ultimum rationis: in articulo mortis: & saltem semel in anno. num. 6. 7. Per accidens vero obligat, quando quis graviter tenatur de desperatione: & quando actus Spei quæ requiritur ad eliciendos actus alterius virtutis, ad quos quis obligatur: & cum actus Spei est necessarius ad vincendas alias graves tentationes. Per dolorem peccati cum proposito non peccandi de cetero, fatistis huic præcepto; quia isti actus oriuntur ex amore imperfecto, cum Spe vitæ æternæ, & veniæ. Quando actus Spei per se obligat, ejus omisio est peccatum speciei distinctum in confessione explicandum: cum vero obligat per accidens, non est peccatum distinctum ab eo, quod oritur ex ommissione illius. num. 8.

38. Timor tripliciter accipitur. primo ut elis passio, & definitur: *fuga mali ardui futuri, quod non potest facile vitari*. 2. Prout est vitium oppositum fortitudini, & dicitur timiditas, fugitive malum, quod secundam rectam rationem timere non licet. 3. Prout est donum quoddam Spiritus Sancti, quo mens hominis frænatur, ne ob nimiam Spem in præsumptionem labatur. Tract. 21. cap. 5. n. 9. Objectum timoris duplex est: scilicet ipsum malum, quod homo refugit; & causa, a qua ipsum malum provenire potest. num. 11. Peccatum ut tale nequit proprie esse objectum timoris, nam facile vitari potest. n. 12. Dividitur timor in *filialem, intrialem, servilem, & mundanum*. Timor mundanus est, qui penam præfert culpe; ut cum quis propter mala temporalia, quæ timet, avertitur a Deo, ejus mandata frangendo: vel cum quis taliter vitat culpam ob timorem penæ, quod si non adesset penæ, nollet vitare culpam: Servilis est, cum quis ad Deum convertitur, & culpam vitat propter timorem.

H 2

morem pœnæ. Initialis est cum quis ad Deum convertitur, propter timorem tum pœnæ, tum culpe, sed principaliter culpe. Filialis vero timor est, cum quis ad Deum convertitur propter timorem culpe solius, prout opponitur Deo summe dilecto. num. 13. 15. 19. Timor mundanus turpis est, & pravius. Timor initialis non distinguitur quoad substantiam a filiali, sed se habet ut via ad ipsum; & sicut imperfectum ad perfectum: quare quicquid dicitur de filiali, applicatur etiam initiali, proportionem servata. num. 17. Timor filialis seu castus bonus est, & laudabilis. num. 18. Servilis secundum suam essentiam consideratus, seu secundum servilitatem objectivam desumptam ex pœna, quam respicit ut objectum, & ex ejus horrore vitat culpam, sive pœna timeatur ut principale malum, sive non, est bonus, & honestus; ideoque actus, quo quis ex horrore inferni vitat culpam, est bonus & laudabilis. Qui enim ex timore inferni vitat culpam, non præfert positive pœnam culpæ, sed pure præcise se habet; nec comparat illas inter se, sed ab hoc præscindit, & tantum ponit motivum ex se honestum. & sufficiens ad culpam fugiendam. n. 18. 21. 26. Servilitas subiectiva, hoc est status peccati in eliciente actus timoris servilis, non reddit ipsum actum turpem, & malum. n. 27. *Donum Spiritus Sancti est habitus quidam supernaturalis, quo homo disponitur, ut sit prompte mobilis a Spiritu Sancto.* n. 45. Solutus timor filialis est donum Spiritus Sancti, ex quo sequitur excludi timorem servilem, non vero initialem, cum non sit essentialiter a filiali distinctus sed tantum secundum statum, sicut Charitas perfecta, & imperfecta. num. 47. Datur præceptum divinum speciale de timore filiali, & servili. Quando autem obliget; videantur dicta de præcepto Spei. Raro invenietur adeo depravatus, qui pluries saltem ob timorem inferni peccare non omittat, doleatque de commissis. num. 49.

39. Desperatio est voluntas efficax, qua

peccator abijcit salutem æternam, ex divina misericordia consequendam. num. 50. Est peccatum mortale gravissimum. Tract. 21. c. 5. n. 51. Aliquando conjungitur cum hæresi, aliquando non. num. 52. Oritur ex luxuria, & accidia, & ex hac specialius. num. 53. *Præsumptio est inordinata confidentia in divina misericordia.* Per præsumptionem enim confidit peccator consequi vitam æternam sine meritis. Est peccatum mortale, sed minus grave quam desperatio. Licet possit excusari a mortali ex defectu deliberationis; non tamen ex parvitate materiæ. num. 55. Raro est sine hæresi: quando autem non involvit hæresim, non desinitur Spei, licet sit contra præceptum Spei. n. 57.

CAPUT III.

De Charitate, & vitiis oppositis.

S. I.

De essentia, & objecto Charitatis, & de ejus præcepto.

40. *Charitas est virtus, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum, & in Deo.* Tract. 21. cap. 6. n. 1. Datur præceptum Charitatis divinum tum affirmativum, tum negativum: istud ne unquam Deum odio habeamus; illud ut actus Charitatis aliquando eliciamus. nu. 2. 3. Præceptum affirmativum Charitatis per se obligat, cum homo pervenit ad usum rationis, qui tunc censetur compleri, cum cognoscit lamine naturali, sibi conveniens esse adherere Deo per amorem. num. 8. Item per se obligat saltem semel in anno, & in articulo mortis. Obligat hoc præceptum per se ad amorem Dei explicatum, tam ut est finis, & Author supernaturalis, quam naturalis. num. 11. Obligat vero per accidens, in casu gravis tentationis odii Dei; & cum quicquid

exi-

existens in peccato mortali administratur est, vel suscepturus Sacramenta, nec habet copiam Confessarii; & quando imminet periculum transgrediendi alia præcepta, nisi Charitatis actu se muniat. Ejus omisio, quando est obligatio per accidens, non est peccatum speciale distinctum ab eo, quod sequitur ex ommissione. n. 13. 15.

41. Datur speciale præceptum diligendi proximum, tum per actus internos, & formales, tum per externos. Tract. 21. cap. 6. num. 16. Hoc præceptum obligat per se saltem semel in anno, & cum proximus est in extrema necessitate, sive spirituali, sive temporali. Ideoque ex hoc præcepto tenemur in tali necessitate ministrare Sacramenta, dare consilium, præbere auxilium, avertere damnum &c. cum sine equali, aut majore damno nostro id facere possumus. num. 17. Tenemur etiam ex hoc præcepto diligere inimicos in omni casu in quo urget præceptum dilectionis proximi. Inimico petenti veniam tenemur signa dilectionis ostendere; & odium contra illum, appetitumque private vindictæ deponere: non tamen tenemur vindictam, seu pœnam a iudice infligendam condonare. Non licet inimicis malum sub ratione mali desiderare; bene vero sub ratione boni, & non ex odio, ut alibi dicitur, num. 18.

42. Tenetur quilibet signa communia dilectionis inimico ostendere; signa vero particularia non sunt de præcepto, sed tantum de consilio. Quare non potest inimicus excludi ab oratione, beneficio, vel opere pro communitate factis. At non tenetur quis eum speciali amore prosequi, hospitio recipere, familiariter tractare, egrotum visitare, nisi sit pater, mater, frater &c.; vel nisi ex tali ommissione sequatur scandalum: vel ex tali signo dilectionis probabiliter speretur salus spiritualis, vel corporalis illius. Tract. 21. cap. 6. nu. 19. Quilibet tenetur resalutare inimicum, eum vero salutare regulariter non tenemur; salutatio enim est signum spe-

cialis dilectionis, cum non omnes occurrentes salutemus. At si ex ommissione sequatur scandalum: ut si inimicus esset Prælati, vel esset simul cum aliis, quos eo excepto salutaret, peccaret mortaliter contra præceptum Charitatis; nam præberet fundamentum iudicandi, se ex odio id facere. num. 20. 21. Læsus sufficienter obviat scandalo, si manifestet se paratum esse ad salutandum, & colloquendum; qui enim injuriam irrogavit, primus ad salutandum, & colloquendum esse debet. Verum quia ut in plurimum unusquisque se innoxium esse putat, uterque cogendus est ad mutuum colloquium, & salutationem. n. 22.

43. Illicitum est succurrere proximo in bonis spiritualibus cum spirituali proprio detrimento; ideoque non licet committere quodcumque vel veniale peccatum, pro totius mundi salute, & conversione. Tract. 21. cap. 6. num. 24. Potest quilibet ob salutem spiritualement, vel etiam corporalem proximi se privare bonis spiritualibus non necessariis ad Beatitudinem consequendam, & ad quæ acquirenda non tenetur, ut sunt augmentum Gratiæ, status Religiosus &c. num. 26. Licitum est ob gravem, honestamque causam, v. g. ob salutem spiritualement proximi se exponere probabili periculo peccandi; nec non & tale periculum non delerere: immo si salus spiritualis proximi necessario periclitetur, tua vero tantum contingenter, non solum potes, sed etiam teneris tali periculo te exponere. Periculo tamen proximo peccandi, etiam ob salutem spiritualement proximi, nunquam se exponere licet. num. 27. 28. Si adit in Parocho necessitas audiendi confessiones, & feminarum, ubi id aliis committere non possit: vel in medico necessitas medendi feminae, ubi alius medicus non addit; licebit utrique peccandi periculo se exponere, præmuniendo se oratione, & firmo proposito non committendi; quia in tali casu, ita operans non amat periculum, sed ex necessitate in illud se conjicit; & in

ta-